

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

Ad IX. praeceptum decalogi.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

S. 1.



Robl. 1. Quid sit mendacium? Resp. Mendacium deficiente Augustino ad Consensum) est voluntaria falsi enuntiatio fallendi causâ. Thomas 22. qu. 110. art. 1.

Explicatè hæc tria distinguit.

1. Ut falsum sit quod enuntiatur.
2. Ut adsit voluntas falsum enuntiandi.
3. Ut adsit intentio fallendi.

Sed hæc ad mendacium constituendum sufficere possunt.

1. *Ut scil. sit enuntiatio: non vero interior cogitatio; quia testimonium consistit in interpretatione vocali aut scriptâ, in ordine ad proximum; cogitatio seu sermo ordinem habet ad solum Deum*

2. *Ut sit falsa, contra interiorem scil. scientiam & conscientiam dicentis: quamvis per accidens fieri possit, ut affirmatio aut negatio aliqua à mente dicentis dissentiens cum rei veritate extra mentem conveniat. In quo casu à mendacio formaliter dicto non excusatur.*

3. *Ut adsit voluntas falsum enuntiandi. Quid autem sit propriè voluntarium vel in se vel in causâ, alibi docetur. Quod apud Thomam ibidem additur intentio fallendi illud aut idem dicit, quod secundum requisitum voluntas falsum enuntiandi: aut si diversum quid, intentum scil. effectum falsæ enuntiationis; non est de ratione ejus formali, & viderentur vulgo dicta humilitatis, jocosa, officiosa mendacia aliquo modo à definitione eximi. Verum quidem est intentionem fallendi, si accedat, constituere primum analogatum seu perfectiorem speciem mendacii, uti amicitia honesta comparatè ad utilem & jucundam. Et sic postea rectè determinat Thomas: Sed tamen ratio mendacii sumitur à formali falsitate, secundum hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi. Et paulo post. Quod autem aliquis intendit falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum; non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius: sicut & in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur si formam habeat, etiam si desit formæ effectus, &c.*

11. *Probl. An omne mendacium sit peccatum? Resp. Distinguitur ab obiecto seu materiâ in perniciosum, officiosum, humilitatis, jocosum: quorum primum frequentissimâ praxi, & errore populari & olim & nunc ferè solum in peccatis habitum est. Nec defuerunt Doctores, qui peculiari & privatæ suæ opinioni hic indulserunt. Nam communi aut orthodoxæ alicujus ecclesiæ, aut alicujus professionis quæ nomine Christiano gaudere velit, consensu & doctrinâ tale quid statui non memini. Inter antiquos Cassianus officiosum & humilitatis apertè à peccato liberat collat. 17.*

à cap. 15. - 20. Et fatentur hoc ipsi Pontificii, ut *Alphonsus à Castro lib. 10. adv. hæreses in voce mendacium*: ubi in fine addit, *forte hâc & aliâ occasione Cassiani opera inter apocrypha recenseri à Gelasio Papa cap. sancta Romana dist. 15. Quin & Hieronymus hic labascit in Galat. 2. & apolog. 1. adversus Rufinum*, & in epistolâ ad Augustinum, ubi alios suæ sententiæ autores laudat. Nec Chrysostomus subsistit, motus, ut videtur, exemplis sanctorum. Vide cum in *Genes. 12. & 17.*

Ex recentioribus *Becanus Theol. Scholast. part. 2. part. 3.* ubi de restitutione pag. 273. satis huc tendit. Nec abludit *Erasmus in Encomio moria pag. 272. edit. in 8. cum commentar. Gerardi Lystrii. Lipsius in Politicis* probitatis magister (scilicet) principi suo fraudes & deceptiunculas partim suadet partim permittit; quo nomine vapulat adversario suo *Georgio Thomsono pag. 20. - 30. edit. in 8.* Huc reduci debent improbæ dispp. Pontificiorum, quæ quamvis directè & apertè mendacium non defendant, venialia tamen peccata hic communiscuntur cum *Thomâ suo 22. qu. 110. art. 4. & artem æquivocationum ac mentalium reservationum tradunt: de quâ infra. Remonstrantico tenebrioni causam mendacii contra nos tuenti respondit in meo Thesite.*

Ex nostris (quod ingenuè fatendum) unus inter theologos *Wolpbgangus Musculus in commentariis ad Johann. 8.* errorem hunc errat. *Albericus Gentilis J. C. in Perusino Gymnasio* primum, postea ob religionem relicta Italia in Acad. Oxoniensi celebris juris professor tractatu peculiari tit. de abusu mendacii, periculosam hanc causam egit; quod ἡττοῦς præstitisset cum Italiâ & Papatu exutum fuisse, *Bucerus in commentar. ad Ephes. 4.* non determinat. Inter Lutheranos Theologos quæstionem hanc involvit non explicat, quin ab *Augustino* liquidè determinante haut obscurè discedere videtur. *Balduinus lib. 4. Casuum cap. 17. casu 18.* Nos cum *Augustino in libro de mendacio c. Cresconium*, & commentar. in *Psal. 5.* absolute statuimus omne mendacium esse peccatum. Classes argumentorum pro hâc sententiâ accuratè instruxit *Amesius lib. 5. Cas. c. 53.* Si quis alios insuper conferre velit, & in iis solutiones objectionum atque exceptionum, illi indico, *August. l. 6., Martyr. in loc. comm. Georg. Abotum in sex prælectionibus, Joh. Downamum tr. cit. c. 12. Alphonsum à Castro loc. cit. Riverum in decalogum, Georg. Thomsonum contra Lipsium. Meisner. in qu. Ethic. & Polit.*

111. Probl. An mendacium ulla ratione honestari possit, seu an Deus possit alicui mandare mendacium, aut etiam mandare ut quis credat falso? Resp. Neg. utrumque. Prius deducitur ex rationibus quibusdam contra mendacium à natura Dei qui est veritas, petitis; quas vide apud *Amesium, &*

Scholasticos. Posterius satis superque excussum est ab Amefio in appendice ad Medullam, de fidei divinæ veritate; & nos illud attingimus in 1. *part. sel. disp. tit. de Jure & Justitia Dei*, & in 2. *part. sel. disp. tit. de Merito Christi*.

IV. *Probl. An mendacium, præsertim pernitiosum sit turpissimum & gravissimum peccatum?* Resp. Aff. 1. *ratione primitatis*: quia primum est per quod homo abductus, & omnia vitia & mala ingressa sunt. *Joh. 8. v. 44.* ubi diabolus dicitur mendax fuisse ab initio; coll. cum 2 *Corinth. 11. v. 3.* ubi serpens dicitur decesse Evam. 2. *Ratione originis & patris*: quia propriè dicitur opus ac foetus diaboli *Joh. 8. 44.* eoque homo proximè diaboli imaginem refert ejusque filium se ostendit. 3. *Ratione universalitatis*: quia omnia peccata quasi radicaliter in se continet, ad omnia aditum struit, omnium vehiculum & receptaculum est, omnibus se insinuat, omnia committenda & continuanda promovet, omnibus commissis patrocinium & præsidium præstat. 4. *Ratione ευπεριστοίας*, id est, *facilis circumfessionis* & perpetuæ quasi adjacentiæ ac quotidianæ incurfationis; consequenter ratione difficilis resistentiæ aut evitacionis. Illud enim Jacobi cap. 3. v. 2. *Perfectus vir est, qui in verbo aliquo non transgreditur*, merito proclivitati & lubricitati humanæ ad mentiendum aptari potest. Hinc experimur omnes nationes, omnes hominum ordines, omnem ætatem, omnem sexum huic malo obnoxium esse, ne quidem optimos quosque, nec sacri ordinis viros, nec Judices, nec Optimates & *κυβερνέτας* (ex. gr. Davidem, Petrum, &c.) exemptos. Imprimis olim inter nationes notati Cretenses, diverbio illo *κρήντες αὐτὸν Ἰούπτεον* (*Callimachus hymno in Jovem*), quod etiam propheta eorum Epimenides oraculis suis inseruit, citante & probante Apostolo Tit. 1. v. 12. *κρήντες*, &c. Et Græci, juxta illud:

--- *Quidquid Græcia mendax*

Audet in historiâ ---

Huc facit adagium, *Græca fides*. Ut & Tyrii, Pœni, de quibus illud, *Tyriosque bilingues, & Fides, Punica*. Quibus nationibus hodie peculiari-ter & appropriatè hoc vitium tribuatur, indicant topographi speciales, & qui icones animorum, ac mores gentium depingunt. De aulicis, de politicis Machiavellicis, de mercatoribus, artificibus, agricolis, pueris, famulis, ancillis, divitibus, mendicis, nemo ignorare potest, nisi qui extramundanus sit. Quod ad sacrum ordinem, seu clericos & regulares in Papatu: vix unus atque alter est (utinam nulli ex iis, qui ad ecclesiam nostram transeunt!) quibus aptari non possit illud quod olim à *Wiclefo* Minoritis fertur objectum: *Tenet, inquit, argumentum in materiâ & forma: hic frater est: ergo mendax*. De irreptione hujus caco-dæmonis in aliquot (alibi plures, alibi pauciores) viros ecclesiasticos ecclesiatarum à Papatu

sepa-

separatarum, præter clamantem experientiam verbum non dicam : Tantum indico querelam veterani & exercitati theologi *Johannis Downani in libro de Mendacio* anglicè anno 1636. edito ubi *cap. 1. 9. 6.* applicat illis *Ezechiel 13. v. 18. 22. Micha 2. v. 11.* Confer rationes & autores modo ad 2. *Probl.* indicatos; quibus adde conciones & commentaria ad loca scripturæ ab Amefio citata, aliaque concordantia.

v. *Probl. An mendacium per censuras ecclesiasticas præmissa monitione & correptione, in filiis ecclesiæ emendandum aut coërcendum sit?* Resp. Aff. 1. *Quia* est peccatum turpissimum & gravissimum, ac proprium opus diaboli (secundum catechesin nostram *qu. 112.*) : consequenter in filiis Dei & ecclesiæ tolerandum non est, ut audiant filii diaboli (*Johann. 8. v. 44.*) Confer quæ problem. præced. de gravitate hujus peccati notamus. 2. *Quia*, omne peccatum, quod est scandalum, ecclesiæ ac fidei opprobrium, disciplinâ ecclesiasticâ expurgandum. Sed mendacium est maximè scandalosum, & ecclesiæ apud extraneos probrosum. Ergo. Majoris veritas probatur ex 1 *Corinth. 5. 3.* *Quia* excludit ex regno cœlorum, & cultores suos reddit ab eo extraneos atque exclusissimos *Apoc. 21. v. 8. 27.* Ergo non est tolerandum in ecclesia, sed per censuras eliminandum. 4. *Quia* mendacium perniciosum, maximam in se continet injuriam, atque adeo aut sigillatim proximo cuique, aut collectim communitati sive civili sive ecclesiasticæ, aut utrisque maximè damnosum. Ergo non est tolerandum sine censura juxta *Matth. 18. v. 15.* *Si peccaverit in te frater tuus; &c.* 5. *Quia*, varia mendacii genera sunt *ἀνθρώπων* cum naturali & civili honestate, quædam etiam autorem politicè infamem reddunt : uti videre est apud Jureconsultos, ubi de *falso*, & de *infamiâ*. 6. *Quia* ebriositas & ebrietas, simplex fornicatio, simplex furtum, rixæ, pugnæ, verbera, &c. censuris ecclesiasticis coërcentur : Ergo multo magis mendacium. Est enim, quod ad complures species ac gradus, multo turpius & damnosius peccatum. 7. *Quia*, nemo agnoscitur filius Dei, & secundum judicium caritatis à matre ecclesiâ tanquam talis recipitur, nisi fidem & conversionem & oris professione & bonorum operum studio externè ostendat. Atqui, qui opera diaboli propria operatur, & iis ostendit se esse ex patre diabolo (*Joh. 1. v. 44.*) quomodo is sine ulla adhibita disciplina tanquam regeneritus Dei filius in domo Dei tolerabitur? quomodo sanctum non dabitur canibus, contra *Matth. 7. v. 6.* coll. cum *Apocal. 21. v. 8. 27.* 8. *Quia* posterioris generis, mendacium, cui prætexi solet officium, aut jocus seu vana oblectatio, aut modestia & humilitas : arguit cordis humani vanitatem, levitatem, lubricitatem, profanitatem; & repugnat sancto illi timori ac tremori *Philipp. 2. v. 12.* *Psal. 2. v. 11.* gravitati item *Philipp. 4. v. 8.* & vigilantia circumspectæ oris custodiæ *Pf. 39.*

v. 2. cum *Jacobi* 1. v. 26. & 3. v. 6. Vera caritas delectatur veritate 1 *Cor.* 13. v. 5. Et verus discipulus Christi, novit de omni verbo otioso rationem reddendam *Math.* 12. v. 36. Si quis ergo in ecclesiâ huic mendaciorum generi se addicat, & pro re nata cum ipsi usu venit, sine formidine, aut difficultate, aut remorsu in illo se exerceat : is disciplinâ coercendus.

v. 1. *Probl. An ironia, hyperbolæ, parabola, fabulæ seu apologi sint mendacia.* Resp. Neg. cum *Augustino* lib. 1. contra mendacium ad Consentium cap. 5. 1. Quia non adest voluntas falsum dicendi. Nam qui ironiâ aut alio tropo conceptum suum exprimit, non vult nec verbis præcipit ut enuntiationem improprie accipiant. Eadem est ratio hyperbolæ, parabolæ, mythologiæ. 2. Quia Deus ipse & *ἱερογλυφοί* Prophetæ atque Apostoli usi sunt ironiis & sarcasmis *Genes.* 3. v. 22. 1 *Regum* 18. v. 27. & 22. v. 12. *Eccles.* 12. v. 9. *Matth.* 26. v. 41. 2 *Cor.* 11. v. 19. & 12. v. 13. *Eccles.* 12. v. 9. Hyperbolis, *Judic.* 20. v. 16. *Johann.* 21. v. 25. parabolis, & fictionibus atque hypothesebus parabolicis 2 *Samuel.* 12. v. 1. 1 *Reg.* 22. v. 19. *Matth.* 21. v. 33. - 41. Vide *August.* lib. 2. *quest. Euang.* c. 51.

DE SIMULATIONE ET DISSIMULATIONE.

S. 2. I. **P**robl. An omnis dissimulatio sit illicita, an vero aliqua sit licita? Resp. cum diss. aut silentio, aut verbis, aut facto dissimulatur.

1. *Concl.* Præteritione & silentio tegere seu occultare licet, ac dissimulare veritatem aut partem ejus, (*Jerem.* 31. v. 26. 27. *Prov.* 30. 14.) sive de nobis ipsis sive de aliis ad quam enuntiandam in conscientia non tenemur; idque ad bonum publicum, aut privatum sive nostrum sive proximi nostri. Neque enim omne verum semper dicendum, nec veritatem reticens loquitur mendacium. Nec repugnat hoc veracitati, sinceritati, simplicitati, & candori Christiano: consequenter non est hoc reducendum ad hypocrisim, vafritiem, & fraudulentiam; sed ad prudentiam justorum, taciturnitatem, ac linguæ moderationem. *Matth.* 10. v. 16. *Esiote prudentes ut serpentes*, *Mich.* 7. v. 5. *Ne crede amico*, &c. *custodi ostium lingue*, &c. Adde alia monita compluria de frenanda lingua. Fit autem ista dissimulatio seu præteritio vel in universum tacendo; vel aliud quid verè dicendo, dum veritatem hanc præterimus; vel partem aut partes dicendo, dum reliquam aut reliquas partes tegimus; vel exsertè dicendo, nos nolle dicere aut respondere; vel interrogationem interrogationi opponendo; vel denique abduciendo ab illis cogitationibus & sermonibus ad alios.

2. *Concl.* Nec tantum hoc aliquando licet in familiari conversatione cum quibusvis hominibus, sed & in judicio coram superioribus & judicibus, etiam

etiam juridicè interrogantibus. Probatur id exemplo Christi *Matth.* 21. v. 24. 27. & 26. v. 63. & 27. v. 14. *Joh.* 18. v. 20. 21. 34. & 19. v. 9. *Luc.* 23. v. 9.

3. *Concl.* Quin & in negotio religionis id aliquando licet, immo utile est; uti constat ex exemplis Christi modo allatis; & Pauli *Actor.* 21. & 23. & *Cor.* 9. v. 21. 22. 23. Non enim semper coram quibuscumque fidei confessio edenda; nec quævis partes fidei, quævis dogmata theologica simul & semel proponenda; nec quivis errores, aut quævis peccata corripienda. Hic conferenda doctrina de confessione fidei, de apologia veritatis, de correptione fraterna, de tolerantia, de moderatione, de juramento religionis, de quibus nos partim in *Politica Ecclesiastica*, partim in 3. *part. sel. disp.* partim in *Exercitiis pietatis*.

4. *Concl.* Dissimulatio non tantum silentio, tacita abductione, aperta recusatione peragitur; sed & positivè verbis ita dispositis, ut aliquando aut ut plurimum ille qui audit, inde aliud quid, quam nos intendimus, colligat; nosque probabiliter novimus illum hoc collecturum, quin & verbis nostris ita prolatis idem intendimus. Atque hunc dissimulationis modum in rebus licitis & utilibus ad Dei gloriam & bonum proximi adhibitum, esse alienum à mendacio & consequenter licitum putamus: sic tamen ut hic sit summus prudentiæ in sermone gradus, nec ultra illum fas sit ascendere, nisi lineas transilire velimus. Vide exemplum Pauli *Actor.* 23. v. 6. 7. 8. 9.

5. *Concl.* Licet dissimulare factis externis, quæ ex instituto & communi usu non sunt signa affirmationem aut negationem denotantia; modo id fiat in re licita atque utili & sine bono. Facta enim non sunt verba, nec testimonium dicunt. Quod si quis ex iis seipsum malè aut verisimiliter colligendo decipiat, sibi errorem illum imputet, Huc refer exemplum Christi *Luc.* 24. v. 28. & stratagemata militaria, quæ Deus ipse docuit & probavit, ut *Josue* 8. v. 5. 6. 7. *Judic.* 7. v. 16. 17.

II. *Probl.* An simulatio aliqua sit licita? *Resp.* cum dist. Variè hæc vox ab Ethicis & theologis accipitur. Latè aut laxè accepta, indifferens est; sic licitè vel illicitè simulatio fieri potest. Si ergo idem notet, quod dissimulatio jam à nobis explicata. *Aff.* Nihil enim aliud est, quam solers consilium; quod illas à justitiâ in bonum finem adversus aut apud aliquem exercetur. Sin aliud quid, ut sonet aut implicet hypocrisin, dolum malum, mendacium directum aut indirectum, æquivocationem, aut mentalem restrictionem, breviter ut idem sit quod aliud clausum in pectore aliud in lingua promptum habere (uti *Salustius* de Catilina, quem simulatorem & dissimulatorem omnium prædicat); *Neg.*

III. *Probl. An simulatio in negotio religionis sit licita? Resp.* Si distinguatur à dissimulatione, & notet aliquam per verba, gestus, signa, ritus ostentationem, quâ aliis videri possumus à vera religione alieni esse, aut à falsa non alieni; *Neg.* Hoc enim directè repugnat confessioni & martyrio (*Math.* 10. v. 32. 33. *Rom.* 1. v. 16. & 10. v. 10. 2 *Tim.* 1. v. 8. 16.): de quibus alibi *part.* 2. *polit. eccles. lib.* 1. Aliter fert sententia & praxis Priscillianistarum, Bogimilorum, David-Georgianorum, aliorumque Enthusiastarum & Libertinorum, Neutralium, Pseudo-Nicodemitarum. Vide *Wigandum t. Neutrales*, & *Calvinum* in opusculis, cum subjunctis aliorum Theologorum Judicii contra Pseudo-Nicodemitas, & scriptores contra Libertinos in Biblioth. nostra indicatos. Sed si simulatio idem notet quod dissimulatio, & sit purè negativa, quæ consistat in solo silentio, in non-indicio, non-confessione, non-apologiâ; aliquo in casu licita est; cum scil. inter hostes & persecutores ecclesiæ versantem aut per illos transeuntem, aut una navi vectum, aut uno hospitio exceptum nemo rogat de religione, nemo cogit: Sponte enim illic & intempestivè se ipsum prodere, atque in præsentissimum periculum & se & religionem conjicere absque ulla spe aut præsumptione ædificationis, videtur repugnare prudentiæ. Neque enim margaritæ porcis objiciendæ *Matth.* 7. v. 6. Nec præceptum affirmativum de confessione *Rom.* 10. v. 10. obligat ad semper: & haut obscure 1 *Petr.* 3. v. 16. restringitur per additamentum illud: *Omni petenti.* Nec tamen omni importunè, stolidè, hostiliter, sarcasticè profanè, furiosè petenti. Vide *Amesum* l. 4. c. 3. & *Polanum* lib. 8. *syntagm. cap.* 8. ubi de actu prudentiæ, dissimulatione. Quorum tamen virorum determinationem nolo applicari *Arminio*, qui delegatis à Synodis Hollandicis recusabat aperire sententiam suam in iis religionis capitibus, quorum nomine suspectus erat ecclesiis, & per quæ multi infirmi scandalizabantur. Ut nec eidem *Arminio* in juvenili ætate Geneva, quò studiorum causâ à Mecænatibus Amstelodamensibus missus erat, Romam excurrenti. Quod factum ita displicebat inclyto Senatui Amstelodamensi, ut exinde usque ad annum 1612. nullis theologiæ studiosis, qui stipendiis ipsius fruebantur, peregrinandi facultatem concesserint. Ut alia incommoda & pericula à *Lipso* in epistola ad *Lanoyum* (quæ est 22. centur. 1.) designata, nunc præteream; Non video sane, quomodo vulgares Romipetæ nostrates, & peregrinantes Italici angulos quoscunque & adyta partim idololatræ, partim curialia Romano-atheæ curiosè perlustrare & perreptare possint, ut conscientiam Dei & melioribus imbutam (siquidem imbuta sit) impollutam servant ab idololatria indirecta & participata; & inde meliores domum redeant. Notum est in mediis Papatus tenebris jactatum Bapt. Mantuani distichon: *Vivere qui sanctè cupitis, discedite Roma: Omnia cum liceant, non licet esse pium.* Et quæ celebris Sorbonicus

cus Ebenceus, de matre Æneæ regnante Romæ, alique alibi citati cecinerunt; & quid ante eos *Fr. Petrarca in epistolis, poematis, &c.* Eximius theologus *Zachar. Ursinus* in epistolâ quâdam gratulabatur amico reditum ex Italia, addens, hoc est, ex *cloacâ diabolorum*. *David Pareus in commentar. in Apocâ.* alibi nobis citatus Germanis Romipetis non importunè periculum ostendit. Quod si curiositas hæc sine manifesto periculo dilapsus aut in manus inquisitorum, aut in idololatriam indirectam, expleri posset: utique absolute eam nemo improbareret. Videndum est ergo, ne dictu aut factu necessaria in negotio religionis, etiam in aliis quæ proximum concernunt, omitterentur; sed omnis nostra dissimulatio fiat citra fraudem veritatis, caritatis, iustitiæ, & vocationis nostræ; & distinctio fiat inter eos, apud quos dissimulatur, inter ignorantes scil. & scientes, infirmos & firmos, amicos & inimicos, minus malos & desperatè malos, &c.

IV. *Probl. An dissimulationes angelorum Genes. 19. v. 2. Josephi Genes. 42. Nosis Exod. 4. v. 18. Israelitarum Exod. 3. v. 28. Samuelis 1 Sam. 16. Davidis 1 Sam. 21. v. 13. Luca Evangelistæ Cainan in genealogia recensenti c. 3. v. 38. Pauli Act. 21. v. 23. v. culpa omni caruerint? Resp.* Ita censet Polarus loco cit. cui facile adstipulamur, excepto exemplo Josephi *Genes. 42.* quem à nimia fratrum vexatione & excruciatione in totum excusare nequeo; saltem malo *ενεργειν* quam universæ illi tragi-comœdiæ applaudere. De Davidis simulata insania dissentiunt theologi: Alii cum *Polaro* in totum excusant eam, ut *Tostatus*, & recentiores Pontificii, inter quos *Lorinus in Psal. 34. v. 1.* etiam laude dignum iudicat: quod Deus non tantum approbaverit, sed & spiritum propheticum contulerit, quo psalmum hunc componeret. *Thomas 22. qu. 111. art. 1.* ad figuralem fictionem refert. *Hieronymus in Galat. 2.* hoc cum Petri Paulique exemplo, quos ex conducto insaniam simulasse fingit, comparat. & probat. *Gasper Sanctius in 1 Sam. 21.* itidem probat, & prudentis ejusmodi simulationis exempla aliquot adducit, Ulyssis scil., Solonis, Junii Bruti; quibus addit *Lorinus* Niciæ Siculi, Methonis Atheniensis, Ramiri Aragoniæ regis, sancti Simonis Sali, quem dicit illud *1 Corinth. 3. v. 18. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*, & vice versa magis peculiari & affectato, studio usurpasse. Nec mirum in gratiam quorundam stultè sanctorum suorum Pontificios hoc factum Davidis tantopere probare: cum illi propriè dictam histrioniam & admittant, & per Romanæ militiæ Spachios & Janitzaros, Jesuitas, strenuè supra omnes histriones exerceant, & larvas Bacchanalium, hoc est larvatos moriones, & habitu mentientes sexum, à peccato mortali excusent. Vide inter Casuistas ipsorum, *Azorium part. 3. lib. 13. cap. 4. §. 6.* Summam Sylvestrinam in voce *semina §. 2. Eligium Basseum*

Basseum in floribus theol. pract. in vide *mendacium* §. 6. Ex nostris *Martyr.* in *commentar. ad 1 Sam. 21.* excusare videtur, non tamen absolute & pemptoriè determinat, sed quasi in medio relinquit. Ego, quia non sola facta, & gestus Davidis, sed & verba minimè decora ad fictionem stultitiæ facientia, hic intercurrisse arbitror, malo in tutiorem partem inclinando, cum *Joh. Downamo cap. 4. §. 4.* Davidem in tantum excusare, non in totum.

V. Probl. *An stratagemata & molimina quæ scriptores politici nonnulli, & praxis fere communis plurimorum principum, aulicorum, ac ministrorum sive regis sive regni, nomine arcani aut simulacri politici velata adhibere solent, idque ut suis rebus studeant, seu propriis suis interesse (uti loquuntur), prætexendo tamen publicum regni, aut Reipublicæ, aut etiam ecclesiæ ac religionis bonum; à mendaciis, fraudibus, & malis artibus pio homine indignis, liberari possint?* Resp. Neg. Quia non sine fraudibus, simulationibus, mendaciis hæc sacra constant. Præcepta istius artis si quis nosse cupiat, legat Machiavellum, & politicos Machiavellicos; sin modulum & praxin, consulat Tacitum, historias de regione Caroli V. Philippi II. Regum Galliæ Henrici II. Caroli IX. imprimis *historiam Concilii Tridentini*, cum conclavibus seu electionibus, vitis, & epistolis Pontificum, ut Leonis 10. à Bembo nomine ejus scriptis, & Pii V. anno 1640. editis in 4. Adde epistolas Cardinalium, si quæ editæ sunt ab Alexandro 6. usque ad præsentem Alexandrum 7. : quales Oslati & Perroni gallicæ, Bentivoglii Ital. Sadoleti Lat. alterius generis sunt. Adde & Jovii vitas Leonis X. & Cardin. Pompei Columnæ; denique Stateram Cardinalium Ital. & Gall.

ALIQUOT PROBLEMATA

AD IX. PRÆC. DECALOGI

Pars secunda,

DE DOLO, ÆQUIVOCATIONE, MENTALI RESTRICTIONE.

Resp. HENRICO van RHENEN Ultrajectino 13. Octobris 1655.

S. 1.



Robl. 1. *An dolus aliquis sit licitus?* Resp. Vocabulo doli, inquit, Festus, nunc tantum in malis utimur: apud antiquos autem in bonis utebantur. Jureconsulti distinguunt dolum in bonum & malum. Illum dicunt esse solertiam: istum rationem vāstram, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.

Doli